SYNOPSIS OBSERUATIONUM MEDICARUM ET PHYSICARUM QUAS DECURIAE 3. AC...

Wilhelm Kellner, Andreas Elias Büchner



Χ. β. ιγ. δ. ιδ. Ἰαν.
αψνδ.

[illegible]

[illegible]

SYNOPSIS
OBSERVATIONVM MEDICARVM ET PHYSICARVM
QVAS
DECVRIAE III AC CENTVRIAE X.
EPHEMERIDVM
ACADEMIAE CAESAREAE LEOPOLDINO-CAROLINAE NATVRAE CVRIOSORVM
AB
ANNO MDCLXX. VSQVE AD ANNVM MDCCXXII,
PVBLICATARVM
CONTINENT,
ORDINE ALPHABETICO EXPOSITA, ET AD INSTAR
LEXICI REALIS
OBSERVATIONVM MEDICO-PHYSICARVM
ADORNATA
à

D. WILHELMO ANDREA KELLNERO
SERENISS. DUC. SAXO-ISENACENSIS MEDICO AVLICO ET PHYSICO PROVINCIALI, NEC NON ACADEM. IMPERIAL. NAT. CVRIOS. ADIVNCTO.

CVM PRAEFATIONE

D. ANDREAE ELIAE BÜCHNERI
ARCHIATRI ET COMIT. PALAT. CAESAR. S. R. I. NOBILIS, ACADEM. IMPERIAL. NAT. CVRIOSOR. PRAESIDIS, CHYMIAE PROF. PVBL. ET FACVLT. MED ERFORD. ADSESS. ORDIN. NEC NON SOCIET. REG BEROLINENS. SCIENTIAR. SODALIS.

NORIBERGAE,
IMPENSIS B. GVOLFG. MAVRIZ. ENDTERI CONSORTIVM,
ET VID. B. JUL. ARNOLD. ENGELBRECHTI.
ANNO MDCCXXXIX.

ILLVSTRISSIMAE
AC VBIQVE GENTIVM CELEBRATAE
ACADEMIAE IMPERIALIS
LEOPOLDINO-CAROLINAE
NATVRAE CVRIOSORVM

PERILLVSTRI, MAGNIFICIS, ILLVSTRIBVS, EXCELLENTISSIMIS
EXPERIENTISSIMIS, CLARISSIMIS

PRAESIDI
DIRECTORI
ADIVNCTIS
COLLEGIS

tot populorum luminibus
dignitate, functionibus, meritis,
ingenio, doctrina, studiis,
immortalium decorum fulgore
praesignibus
flori Teutonum
eruditi orbis gloriae
praestantium animorum exemplis

Patronis suis Fautoribus & Collegis

Indicem hunc vniuersalem
a se adornatum
demissae & obstructissimae mentis pignus verissimum
dat, dicat, dedicat

Vtque cultiſſimorum illa hominum Societas
longis ſucceſſibus
pari laude & admiratione
ſurgat ſemper, emineat altius
atque impleat tandem terrarum orbem
immortalibus vero ſibi mortales ciues exteros
meritis obſtringat
ſicque
poſitis compluribus aeternitatis documentis
omni interſit poſteritati,
denique per cunctos eidem iam iam adſcriptos
quam diutiſſime illuſtrentur
magnorum Principum aulae
ornentur Respublicae
floreant Scholae
communis felicitas ſeruetur ac propagetur
pie precatur
qui tanta tantorum Virorum nomina
quoad vixerit
ad ſidera vocabit
AVCTOR.



PRAEFATIO.

INsignis equidem satisque eximia illa omnino est vtilitas, quam ex *obseruationibus* & *morborum historiis* in artem medicam redundasse deprehendimus; ast, permagna quoque & maxime notabilis est, si debitum pretium ac aestimationem respicias, earundem diuersitas & discrepantia, siquidem abunde iamiam Medicis ingenuis ac prudentibus constat, quod tantum distent, quantum aera lupinis. Non immorabor inpraesentiarum fusiori enarrationi ordinariorum requisitorum, quibus praestantiam genuinarum & fide dignarum obseruationum metimur, cum sufficienter id iam praestiterint complures celeberrimorum Medicorum, speciatim LANCISIVS *Oper. Dissert. X.* STAHLIVS *in Progr. de Historia medica practica*, Dissert. *de Vena Portae porta malorum*, annexo, & HOFFMANNVS *in Medic. System. Tom. II. cap. I. §. 5. sqq. & Tom. IV. cap. 2. pag. 7. sqq.* Cum vero ea, quae ex parte Medici, eiusmodi obseruationes & Historias consignantis, necessario requiruntur, succincte saltem adduxerit SCHELHAMMERVS *in not. ad Conring. Introduct. in art. med. cap. I. §. XXIII. p. 35.* ideo operae pretium fore arbitror, si hac occasione paulo exactius atque copiosius delineata & explanata eadem sistantur. De vtilitate equidem huius instituti nemo, vt spero, mecum dubitabit; ast, quod eo ipso admodum spinosum multisque odiosum adgrediar negotium, dum nudam absque vllis blandimentis propositurus sum veritatem, (vtpote quae communiter odium parit,) facile suspicari licet. Interim tamen in-

trepido animo omnem abiicio formidinem, inprimis, cum firma mihi ſtet ſententia, extra limites aequitatis & moderationis minime euagari, nedum quemcunque petulanter offendere; ſed ſaltem in proprium aeque ac aliorum emolumentum ea, quae abſolute euitanda, aut probe obſeruanda ſunt, indicare, & commendare, vt hac quoque ratione artis noſtrae ſalutaris certitudo & perfectio euidentius demonſtrari & quadantenus promoveri queat. Quodsi igitur verum eſt, quod ad excolendas, addiſcendas & explanandas quasuis artes ac ſcientias duo potiſſimum requirantur, τὸ *poſſe* nimirum, itemque τὸ *velle*, haud iniuſte utique facturum me autumo, ſi quoque cuilibet prudenti Medico ante omnia eadem competere requiſita, ſtatuam, & idcirco, cum praeſertim de communi omnium conſenſu in eo non dubitem, paulo exquiſitius illa delineare, & ad Hiſtoriographos medicos applicare intendam. Complectitur autem prius horum, videlicet τὸ *poſſe*, varia alia ſatis praegnantia momenta, quorum principaliora ad minimum, pro ratione inſtituti, enumeranda & exponenda erunt. Poſtulat nimirum illud absque dubio, vt eiusmodi Hiſtoriographus inprimis monſtret & poſſideat 1.) exactam omnium ad Medicinam ſpectantium diſciplinarum cognitionem; 2.) praeclarum ingenii acumen cum intellectu emendato, & ab omni praeiudiciorum caligine, nec non inepta, alios absque ratione ſectandi, libidine, prorſus alieno; 3.) induſtriam, prudentiam, animumque intrepidum, & firma illa intentione roboratum, non ſolum omnes occurrentes circumſtantias vel ipſemet, vel per alios accurate ac rigide indagandi, ſed & tamdiu de ſingulis caute dubitandi, donec plenarie manifeſtata fuerit veritas; 4.) vegetam & validam corporis ſanitatem, ſenſuumque omnium alacritatem & perſpicaciam; 5.) conuenientem diligentiam, ſufficiens tempus & otium, cum neceſſaria capacitate, omnia accurate, euidenter & ordinate enarrandi & deſcribendi; 6.) ra-

6.) rationalem cum Theoria rationali rite combinatam Praxin medicam; & 7.) firmam indubitatamque certitudinem, de praeparatione & applicatione remediorum adhibitorum indeque subsecuto effectu.

Alterum principale requisitum, *τὸ velle* nimirum, attentam pariter meretur considerationem, maiorisque, quam quidem vulgo creditur, momenti est, siquidem & hic applicari meretur vulgatum illud, *quod a posse ad velle, & vice versa, non valeat consequentia.* Requirit autem illud 1.) in genere animum veritatis amore maxime flagrantem; & 2.) speciatim intentionem, ita rem quamcunque gestam, sepositis omnibus eo non pertinentibus respectibus, exponendi, prout re vera illa contigit, rumpantur vt ilia. Si enim singulari laude illi semper reputantur digni, & inter ceteros virtute sua eminent, qui trepidante commotaque multitudine ita stantem & inperterritum animum seruant, vt ipsos a veritatis confessione nec tempus aut locus vllus auocet, nec mentis perturbatio deterreat; certe maioribus omnino ornandi erunt encomiis Medici, in relationibus suis hanc sibi supremam ponentes legem, vt nil, nisi quod veritati respondet, aliis, qui exinde aliquam in humani generis salutem capessere gestiunt vtilitatem, suggerant, siquidem hac ratione non solum innumeri praeoccupari possunt errores, compluribus aegrotantibus perniciosi, immo non raro lethiferi; sed & variae euitari lites, arti ipsi, quam profitemur, in opprobrium magis & detrimentum, quam qualecunque emolumentum cedentes.

Haec ipsa ergo requisita omnino euidentissima & securissima praebent signa, quorum ope fide digni Medici & genuini obseruationum ac historiarum medicarum Scriptores facili possunt cognosci negotio, & ab illis, ad hunc cœtum non pertinentibus distingui. Hinc 1.) pro cœcis iure meritoque reputandi sunt hodegetis ii omnes, qui obseruatio-

nes

nes consignare & diuulgare audent, nec tamen *vllam*, aut ad summum superficiariam saltem de vniuersa Medicina, reliquisque ad eam spectantibus disciplinis, *cognitionem* sibi compararunt. Haud melioris etiam frugis illi sunt, 2.) qui vel Minerua nati sunt iniqua, magnaque sub mole cerebri *stupidum* gerunt *ingenium* vel praeiudiciis toti immersi seruile cuiusdam *sectae* iugum ex crassa quadam humeris suis vltro imposuerunt ignorantia: Tales enim vel prorsus inepti sunt ad instituendam accuratiorem phaenomenorum inuestigationem, dumque facile credunt, omnino etiam facile decipiuntur, vel ex stolida quadam erga conditores hypotheseos suae reuerentia omnia eo detorquere operose adnituntur, ac quae cum illa conciliari non possunt, studiose negligunt & omittunt, & hac ratione aut obscuras & confusas, aut mutilatas saltem & mendosas obseruationes procudunt. Sic quoque 3.) qui vel admodum *temerarii*, vel nimis etiam *timidi* sunt, prorsus inhabiles deprehenduntur ad obseruationes rite & conuenienter formandas, dum nempe, vel in excessu, vel in defectu peccant, vixque vnquam ordinem illum, quem in morborum decursu Natura seruat, debite attendunt, nedum suam medendi methodum eidem accommodant. Hinc probe monet BAGLIVIUS *Prax. Med. cap. III.* §. *11.* quod inprimis inclinationi a *temperamentis* prouenienti attenta meditatione obuiam eundum sit, & interni eorum motus recta ratione dirigi debeant, ne Medicus abinde ad errores in medicando seducatur, aut ad formandum falsum, de rebus ipsi occurrentibus, iudicium compellatur, id quod etiam RIEDLINUS *in Curis med. Cent. IV. Obs. 367.* suo confirmat suffragio. Quis etiam porro negabit, quod 4.) *sensus hebetiores*, aut plane *deprauati*, vnacum *morosa corporis dispositione*, pariter sat grandia constituant impedimenta, veritatum historicarum inuestigationem in Medicina admodum difficilem, immo fere impossibilem reddentia. Similiter res sese habet 5.) cum iis, qui vel ab *aegrotantium turba* nimium

obru-

obruuntur, vel iisdem prorſus *deſtituuntur*: Prioribus enim vix tantum ſuppetit otii, quantum, exantlatis clinicis, aliisque grauioribus laboribus, pro quiete neceſſaria corporis requiritur, adeoque ob ipſam hanc temporis penuriam non ſemper ad adnotandas ſpecialiores circumſtantias hiſtoricas, multo minus ad conſignandas accuratiores obſeruationes accommodati ſunt; poſteriores vero, quoniam neceſſaria ipſis deeſt experientia, abſolute opus habent, vt, dum quicquam ex intempeſtiuo forſitan pruritu ſcribendi, proferre moliuntur, aut proprii commenta ingenii exponant, ſicque figmentis ſuperbiant, aut peregrinis ex fontibus hauriant, atque aliorum ex relationibus hiſtorias & obſeruationes conſarcinent, de quarum tamen veritate & certitudine fidem praeſtare non valent: quoniam per quotidianam abunde iam conſtat experientiam, quod Medici practici frequentius omnino & facilius præ aliis, falſis deludi queant narrationibus, nisi iudicio polleant exercitato & ad eius trutinam omnia reuocare & examinare valeant.

Proinde etiam 6.) parum fidei obtinent illi Medici, qui ob *defectum rationalis ac verae Theoriae*, non niſi experimentis confidunt, ac de genuina cauſarum indole & diuerſitate in morbis nihil prorſus ſolliciti, Panaceas & ſpecifica vnice quaerunt, iisque omnium morborum curationem, medicaſtrorum more, intendunt. Dum enim Theoriae munus eſt, rationem reddere Φαινομένων in morbis adparentium, antecedentia cum praeſentibus recte comparare, occultas morborum cauſſas, & veros cauſſarum fontes, inueſtigare, aliaque huius generis explanare; ii ſane, qui vel nullam, vel *ſolitam* magis, quam *ſolidam*, addidicerunt Theoriam, ſi demum ex propria *obſeruatione*, tarde admodum in animum admiſſa, ſuam aliorumque augere & confirmare volunt experientiam, cœcis adnumerandi erunt hodegetis, quorum manuductioni nemo, abſq; periculo certiſſime pertimeſcendo, vnquam

)( )(

quam se concredere poterit. Tandem etiam 7.) exiguam omnino praestabunt vtilitatem illorum obseruationes, qui *medicamentorum* suorum *praeparationem* vnice Pharmacopoeis, & quidem imperitis ac rudioribus, vel ipsis etiam seplasiariis committunt, parumque curant, quocunque etiam modo eadem elaborentur; siquidem hac ratione nunquam fere de genuino & ordinario eorundem effectu certi esse, multo minus veras exinde elicere ac formare possunt obseruationes. Neminem enim fugit, quanta saepissime sit ministrorum ad minimum in eiusmodi officinis ignorantia & negligentia, & quot ac quantos propterea tales quotidie committant errores, aegrotantium vitae, aut sanitati, & medentium famae atque iudicio maxime officientes ac nociuos. Taceo iam fraudes, quibus turpe quaerentes lucrum, non plebeios tantum, sed & quandoque Medicos ipsos incautos subridendo astute decipere solent, quale etiam fatum illis imminet, qui de medicamentorum suorum adplicatione & operatione non nisi per Chirurgos, Balneatores, obstetrices, stultasque ac superstitiosas vetulas certiores redduntur, iisque ex nefanda socordia fidem potius adhibere, quam aegros ipsos inuisere solent, siquidem hoc hominum genus vix vnquam debita veritatem rite indagandi facultate gaudet; immo ne quidem cognitam illam, ob varias plerumque ineptas rationes, ingenue semper enunciat, adeoque credulum eiusmodi obseruatorem modo scienter, modo innocenter deludit, vtque aliis itidem imponat, pessimam occasionem suggerit.

Quodsi porro ad illos respicimus errores, in quos facile quoque Historiographi medici quoad τὸ *velle* incurrunt, haud exiguum pariter eorum deprehendimus numerum. Licet enim euincere conarer, quod pauci admodum inter veros Medicos dentur *mendaces* & *nugatores*, (siquidem illud in animo & ore multorum vulgatum satis prouerbium: *Mentiris vt Medicus*; iam dudum egregiis argumentis confutauit,

&

& haud absque magna iniuria de vniuerso medentium ordine accipiendum esse, demonstrauit Illustris noster b. m. BAIERVS *in Adagiis medicinal. doctrinae promiscuae discursibus illustratis*, *p. 13. sqq.*) omnino tamen fatendum ac concedendum esset, quod mediocris sit numerus illorum, de quibus si non euidenter probari, saltem summo cum iure hariolari licet, quod obseruationum suarum & historiarum medicarum consignatione vnice veritatem cum publico communicare & philiatris ingenuis candide inseruire studuerint. Tanto magis autem propterea omnibus qui ad obseruandum animum adplicare intendunt, maxime vero iunioribus Medicis, inculcandum serioque commendandum est paternum illud praefati nostri, coelitibus iam adscripti, BAIERI monitum, quo ipso eosdem i. e. hortatur, „ vt sedulo caueant, tanquam viri „ probi & boni, *ne mentiantur*, (i. e. alios fallere conentur,) „ & tanquam prudentes, *ne mendacia dicant*; (h. e. se ipsos fallant, prout hoc sensu vocabula ista P. NIGIDII auctoritate „ accipienda & distinguenda esse iudicat *A.* GELLIVS *Noct.* „ *Attic. Lib. XI. cap. 11.*) Prius namque absolute, in eorum „ est potestate, & optimus quisque id sollicite obseruat, ne „ ἐκ προαιρέσεως, seu sciens volensque in alterius praesertim „ fraudem, falsa proferat. Posterius autem cadere quidem „ potest in bonum etiam artificem, vt nempe, probabili con„ iectura inductus, aliquid futurum perhibeat, quod ob in„ teruenientes subito caussas contrarias non aeque succedat: „ Tales autem frustrationes, si quis forte dignitati artis & ar„ tificis tantopere existimet detrahere, is ab HIPPOCRATE „ *Prognost. III. 4.* discat, *quod nunquam hallucinari, sit supra captum* „ *hominis, sed quam minimum aberrare, solius artificis.* „

An autem de reliquo vniuersus Medicorum ordo a suspecto illo *partium studio* compluribus aliis Historicis maxime familiari, penitus eximendus semperque immunis sit, aliis ingenuis & in neutram partem inclinantibus Viris diiudicandum

merito relinquo, vnicum saltem hoc superaddens, quod tanto magis fugienda atroque carbone notanda sint vtraque haec vitia, quo magis exinde Medicus, omnibus quoad *τὸ posse* necessariis requisitis optime alias instructus, seduci potest, vt in iis tandem quoque deficiat, & quidem ea maxime ratione, qua *voluntatem*, (ex cuius praua cupidine vltimi hi errores suam praecipue sumunt originem,) saepius quoque *intellectum* (cui omnia, quae ad *τὸ posse* spectant, suos potissimum debent natales,) turbare & a veritatis tramite auertere posse, quotidiana nos docet experientia.

Haec ergo nunc, tam de *qualitatibus & requisitis*, quam de *vitiis & erroribus Historiographorum medicorum* dicta sufficiant. Nonne autem cuilibet exinde clare patescit, quod indefessum omnino studium assiduique laboris cura pro conficiendis & consignandis *veris ac vtilibus obseruationibus* requiratur, adeoque cum non omnibus promiscue talis competat benigna ingenii vena ac perspicacia, merito etiam propterea parem nequaquam mereantur laudem singulorum conatus? Hinc merito optandum, sed difficillime vtique sperandum esse, cum aliis cordatis Viris, iudico, vt illi, qui absque necessariis hisce enumeratis praesidiis morborum curationes temerarie non solum suscipiunt, sed & ex inepto quodam inclarescendi pruritu spissa Diariorum aut obseruationum Volumina, absque iudicio congesta, publice exponunt, sicque experientiae propriae gloria eminere prae aliis volunt, tandem aliquando ab eiusmodi scriptis in publicum immature protrudendis desisterent, nec omnia promiscue quae vel ab imperitis & nugatoribus obiter saltem perceperunt, vel ipsi etiam crude & nude adnotarunt, Reipublicae medicae statim pro verissimis & ad leges genuinae methodi elaboratis obseruationibus venditare auderent, ne prudentioribus subinde risum moueant, aut in iis, qui ex solo auctoritatis praeiudicio illorum vestigia premunt, alienae culpae participes fiant. Mi-

ramur,

ramur quidem saepissime & curiose scrutamur, qui fiat, quod Medici nouelli et iuniores, aut ad minimum tumultuariam magis, quam e subacto iudicio natam Praxin exercentes, in communicandis obseruationibus diligentiores ac liberaliores adpareant, quibusuis aliis veteranis Practicis, doctrinae & experientiae fama vndique terrarum conspicuis; ast veram eius caussam, quodque minime turpis aliqua in culpa sit inuidia, ex supra adductis circumstantiis facile coniicere quilibet poterit.

Interim, cum abusus non tollat vsum, merito propterea ingenui veritatis fautores & rationales artis nostrae cultores exactam constituunt distinctionem inter *Historiographos* & *Neographos medicos*, seu *Diariorum compilatores*, tantumque immo plus adhuc incremento & certitudini Medicinae hos irritis suis ausibus obesse adserunt, quantum illi eidem olim iam profuerunt & adhuc prosunt. De RIOLANO relatum habemus, saepius eundem dicere sueuisse: *Riolanus est Peripateticus, et tantum credit, quae videt.* Vtinam omnes, qui ex conscribendis variis morborum historiis famam aucupantur, hoc prudentissimi istius Viri effatum probe perpenderent, atque ad eius, tamquam primariae legis, normam, obseruationes suas semper componerent, tunc sane, licet etiam minor esset illarum copia, maior tamen, immo maxima inde euentura foret Praxeos tironibus vtilitas, inprimis si insuper curae cordique habebunt aureum illud monitum Illustr. b. m. STAHLII, quod ex Eius Propemptico, de *Historiae morborum criterio*, Dissertat. de *Transpiratione impedita* annexo, iterato hic inculcare consultum duxi: *Meminerint ergo*, inquit, *quibus de meliore luto finxit praecordia Titan, Soteriae artis digni cultores*, Criterion Historiae morborum *esse quidem omnino* experientiam; *sed illam non demum simpliciter* per mortes discendam, propriis, *certe passim difficilioribus obseruationibus: verum ex Antecessorum iam dum industria abunde nobis exasciatam, quae potius* iudiciosa

impressione, iudiciosa recordatione, iudiciosa *omnium circumstantiarum* comparatione, *inprimis autem* essentialium *solida* diiudicatione, *circa phaenomena oblatorum casuum nititur. Quam talem*, quisquis adsequi non valet, antequam trigesimum *aetatis ad summum annum attigit, etiam in qualicunque Praxi, modo cum* ingenio atque solertia, *versans, ille quanto annis auctior, tanto* stupidior *euadet, quanto plus illum cerebro vacuum in olla pro capite frequentes morborum conspectus confuderint.*

Quoniam vero exacta optimarum talium regularum imitatio & adplicatio ab omnibus vix speranda est, siquidem τὸ *fallere & falli*, etiam in hoc scribendi genere veluti ἐνδημιον νόσον constituit; idcirco omnes omnino eo maxime dirigendae sunt vires, vt efficacissima producantur eidemque opponantur remedia & antidota, quorum numero in praesentiarum speciatim *rationalem Pyrrhonismum historicum*, &, quod arctissimis cum eodem coniunctum est vinculis, *studium* nempe *historico-criticum*, refero, vtpote quae ambo tam receptionem, quam studiosam culturam et adplicationem in Medicina iam dudum meruere, alias enim nunquam cessabunt iustissimae olim iam prolatae & frequentius repetitae querelae: *Quod inter numerosiora satisque spissa Obseruationum volumina, quae publici iuris facta extant, parum admodum in Medicina profecerimus.*

Cum ergo adlegatae hae circumstantiae tanti sint momenti tantaeque dignitatis, vt pro indaganda historiarum & obseruationum medicarum *certitudine & veritate* lapidis instar Lydii inseruiant, facile omnino demonstrari poterit, si nimirum secundum illarum quoque ductum *Ephemerides Imperialis Academiae Naturae Curiosorum* rigide ac seuere examinantur, quod maxima pars obseruationum in iis contentarum iure meritoque singulari quadam prae aliis eiusdem commatis gaudeat praerogatiua. Absit iam a me, vt, dum Praesidis munere fungor, turpem adsentatorem superbumque encomia-

comiaſten agam, et praediuite elogio Ephemerides iſtas cumulare intendam, probe vtpote gnarus, quod vino vendibili non opus ſit ſuſpenſa hedera. Interim officii tamen ratio poſtulat, vt indicando ſaltem et breuiter enumerando eminentiora iſta emolumenta, operi huic de iure tribuenda, veritatem ipſam omnium ob oculos ponam. Ex his primum vtique locum meretur illud, quod Auctores contentarum in illo obſeruationum non ex infima plebis faece, aut ſemieruditorum turba deſumti, ſed doctrinae et experientiae gloria vndique iam clari & conſpicui ſint, candorisque ac artis amorem ſimul iungere probe ſciuerint, quae ſane optima & principaliora pro formandis veris et vtilibus obſeruationibus ſunt praeſidia. Dein 2.) illud quoque praecipuum habent, quod non ſolum modeſtae Praeſidis & Directoris diſquiſitioni ante, quam publici iuris fiunt, ſubiiciantur, quibus curae eſt, rariora et optima ſemper prae triuialibus & leuioribus ſeligere, additisque, vbi opus fuerit, Scholiis illuſtrare et confirmare; ſed et quod 3.) libera cuilibet Dominorum Collegarum maneat facultas, veritatem conuenienti ratione adſerendi ac vindicandi, quocunque etiam tempore et loco ipſis libuerit; quorſum 4.) in ſpecie *Parallelismi* prolatarum forſitan ab aliis obſeruationum pertinent, qui ſubinde operi huic annexi deprehenduntur, multumque omnino obfirmandis inſeruiunt veritatibus. Sicuti enim generatim conſenſus Hiſtoricorum de veritate alicuius facti nos perſuadet; ita tanto magis ille in Medicina idem praeſtare valet, vbi ſane aeque laudabile ac vtile eſt, ſi quando aliorum experimenta cum noſtris conciliare poſſumus, et propriarum obſeruationum veritatem complurium votis confirmatam et ſtabilitam deprehendimus; vnde etiam non minoris momenti reputamus 5.) illam praerogatiuam, quod inſigni copia et multitudine phyſicarum pariter ac medicarum obſeruationum, modo vnam eandemque, modo plures materias reſpi-

respicientium, et a diuersis Auctoribus, distinctis in locis factarum, superbiant, siquidem ea, quae a pluribus eodem modo obseruata sunt, maiorem vtique aliquando habere possunt fidem, quam quae ex paucis ipsi intelleximus, aut semel iterumque tantum vidimus. Proinde quoque 6.) huc referri meretur, quod nec materiae neo numeri, aut temporis ratione certum quidquam exigatur, sed cuiuslibet arbitrio relinquatur, propriis viribus aptum et conueniens argumentum sibi seligere, illudque solide ac iudiciose pertractare, ita quidem, vt vnice veritas, sepositis omnibus aliis vanis aut illicitis respectibus, indagetur ac demonstretur, eoque ipso existimatio illa, quam memoratae hae Ephemerides iam olim obtinuerunt, et communi omnium eruditorum adplausu conseruarunt, magis proueharur et augeatur.

Quanquam autem plures huius generis praerogatiuas, quae operi huic insunt, facile adducere fusiusque recensere valerem; lubens tamen abinde desisto, ne limites Praefationis nimium transgrediar, illudque, quod adhuc de praesentis INDICIS VNIVERSALIS methodo et vtilitate dicendum restat, ob chartae angustiam negligere, aut arctioribus cancellis includere cogar.

Sunt sane Indices accurate et iudiciose concinnati eximium non solum ornamentum, sed et saepissime absolutum et necessarium quoddam requisitum Operum praecipue diffusiorum. Ne igitur in eo quoque Ephemeridibus nostris quidquam deesset, singulis non solum Annis et Centuriis *Speciales* statim subiuncti fuerunt *Indices*, sed et sub finem elapsi Saeculi, anno nimirum 1695. *generalem* pro *duabus prioribus Decuriis* adornauit et publici iuris fecit Excellentiss. b. m. WVRFFBAINIVS, quem, cum *tertia* illis accederet *Decuria*, An. 1707. continuauit Celeberrimus D. D. MICHAELIS. Quoniam vero vterque horum separatim prodiit, et huius alia-

rum

rumque circumſtantiarum intuitu exoptatum omnibus haud praeſtitit vſum, praeterea etiam *decem* adhuc *Centuriis* obſeruationum opus illud locupletatum fuit, tandem indefeſſus ac ſolertiſſimus noſter Collega, Dn. D. *Wilhelmus Andreas* KEILNERVS, *Sereniſſ. Ducis Saxo - Iſenacens. Medicus Aulicus et Phyſicus Prouincialis meritiſſimus*, hunc quoque defectum ſupplere, votisque ac deſideriis plurimorum celeberrimorum ac doctiſſimorum Virorum ſatisfacere ab illo ſtatim tempore decreuit, quo in Academiam noſtram cooptatus fuit; cumque ſub initium iſtius laboris obſeruaret, priores modo memoratos generales Indices ſaltem ex ſpecialibus compoſitos eſſe, et praeter id, quod Obſeruationibus ordinarie praefixi indicant tituli, nihil fere amplius in iis contineri, laudabile hinc cepit conſilium, vniuerſum illud Ephemeridum opus a capite ad calcem vsque attente et accurate perlegendi, cum Indicibus iſtis ſedulo conferendi, tandemque alium magis abſolutum et perfectum vniuerſalem, ac ſimul realem, conficiendi. Dum enim prorſus negari non poteſt, quod tituli, ſingulis obſeruationibus praemiſſi, raro, immo fere nunquam ſufficiant denotandis et indicandis omnibus ibidem contentis notabilioribus circumſtantiis, facile hinc adparet, illos, qui ſimplicem ſaltem enumerationem dictorum obtinent titulorum, minime inſignis iſtius in Ephemeridibus ſtudioſe congeſti et abſconditi theſauri, variarum nempe veritatum medico - phyſicarum, quas *aurei* inſtar *velleris* vnice per vaſtum Naturae Oceanum venari ſemper adniſa eſt Argonautica noſtra Societas, participes fieri et qualemcunque inde vtilitatem capere poſſe.

Pro hac igitur obtinenda, cum omnino aſſidua vaſti et ſatis pretioſi illius operis requiratur perluſtratio, huic autem ſufficiens otium et conueniens occaſio non omni-

)( )( )(bus

bus suppetat, vtique propterea compluribus tali ratione nihil prorsus exinde sperandum esse emolumenti per se patet. Hinc solertissimo nostro KELLNERO, pro laudabili suo omnibus inseruiendi feruore, placuit, missa illa in prioribus Indicibus obseruata insufficienti minusque vtili methodo, aliam magis proficuam, simul vero etiam magis molestam et arduam, seligere, huncque praesentem suum laborem secundum illam exacte adornare, ita quidem, vt 1.) omnes et singulas in Decuriis et Centuriis Ephemeridum occurrentes notabiles materias, nulla plane habita titulorum, obseruationibus praepositorum, ratione, ordine alphabetico indicauerit, sicque *locupletissimum et accuratissimum vniuersalem Indicem* immenso labore confecerit; 2.) quamlibet etiam materiam seorsim neruose et laconica breuitate ex obseruationibus extractam dederit, retinendo insimul, quantum licuit, ipsissima Auctorum verba, verum sensum exacte declarantia, vt ita quasi in *Synopsi* quadam, seu breui ac perspicuo compendio neruus totius, interdum diffusioris, tractationis, cuilibet exhibeatur.

Quantum autem vtilitatis spondeat, immo reuera adferat operosus hic, omnemque nostram laudem exsuperans labor, fusius demonstrare non lubet, ne facem Soli accendere, aut ea, quae ab aliis celeberrimis Viris de eiusdem indolis operibus aliunde iam dicta sunt, denuo recoquere velle videar. Sufficiet tribus saltem verbis indicasse, quod 1.) possessores Ephemeridum sic non solum exquisitum omnibusque numeris perfectum obtineant Indicem, sed et 2.) Synopticam recensionem singularum in iis exhibitarum obseruationum, cuius ope, citra vllam temporis iacturam, aut molestam saepiusque irritam Voluminum euolutionem, primo statim intuitu cognoscere possunt, quid hinc et inde de qualibet materia dictum, & quanam ratione illa per-


pertractata fit; e contrario autem 3.) illis, qui praedictis Ephemeridibus prorfus deftituuntur, ad minimum *Lexicon* quoddam *reale medicum* fuppeditetur, ex quo aliorum fide dignorum ac peritorum Virorum fententias, iudicia & fuffragia, in cafibus praecipue intricatis et arduis, depromere, et pro vlteriori confirmatione veritatum iamiam cognitarum adplicare valeant.

Cum ergo ex ipfo hocce opere abunde adpareat, quantum induftriae, ad abfoluendum omniumque vfibus adaptandum illud, Celeberrimus Dn. Auctor impenderit, merito idcirco vltimam eidem admouere manum, vtque publici iuris fieret fedulo curare volui, fpe fretus certiffima, quod absque vlla mea commendatione non folum omnium hiftoriae naturalis ac Medicinae cultorum, fed et praefertim fingulorum Academiae noftrae Dominorum Collegarum adplaufum fit obtenturum, inprimis cum propria fua ac velut infita vtilitate fufficienter cuilibet fefe probare, gratamque aeftimationem fibi aeque, ac Dn. Auctori, conciliare queat, cui etiam in pofterum profperrimos rerum fucceffus, fanitatem perpetuam, vitamque longaeuam, in vniuerfae Reipublicae medicae, maxime autem Imperialis noftrae Academiae emolumentum et ornamentum, toto corde precor ac voueo. Quae de reliquo finiftri ingenii obtrectatores forfitan contra inftituti huius rationem, ipfumque laudabiliter exantlatum laborem prolaturi funt, dubio procul non nifi merae nugae erunt, quas vel ideo vlteriori quadam vix dignas reputamus refponfione, cum et Illuftris nofter b. m.

SCHROECKIVS, et celeberrimus Dn. D. MICHAELIS, in Praefationibus, quas generalibus supra adductis Indicibus in Ephemeridum nostrarum Decurias praemiserunt, sufficienter id praestiterint, vanasque tales obiectiones solidissime confutauerint. Hinc etiam, nihil talia curans, ab ingenuo illo haud desistam proposito, *Thesaurum* nempe *experientiae Welschianae*, Academiae nostrae Imperiali iam olim aeato hoc Auctore concreditum, id est, *Meronii Directorium Medico-Practicum*, ab Excellentiss. WELSCHIO *emendatum et plus quam altero tanto adauctum*, si praeter otium sufficiens simul vitam viresque Deus T. O. M. clementissime concesserit, pariter quoque e Bibliotheca ipsius Academiae depromendi, publicosque in vsus prelo subiiciendi, dummodo praesentem huncce laborem non omnibus displicuisse experientia docebit. Tu vero L. B. vale, nostrisque conatibus in posterum quoque fauere perge. Dabam Erfordiae,

Pridie Iduum Martii A. S. R.

MDCC XXXIX.





Lit. *A.* Annum, *App.* Appendicem, *Cent.* Centuriam, *D.* Decuriam, *Sch.* Scholion indicant.

ABDOMEN.



Bdomen male conformatum, ob singulares aperturas visceraque propendula, in infantibus, ex matrum phantasiae vitio *D. I. A. III. obs.* 103. *p.* 166. *seq. D. II. A. VI. obs.* 126. *pag.* 263. *seq. D. III. A. III. obs.* 97. *Sch. pag.* 189. *Cent. VII. & VIII. App. pag.* 117. *seqq.*

— — — — in iuuene, supra hypochondrium sinistrum, caput informe, proprio sensu et motu praeditum, gerente. *D. III. A. VII. et VIII. obs.* 22. *pag.* 39.

Abdominis abscessus internus in muliere cachectica, post acerbissimos, circa lienem, dolores, ortus, a purgante vero feliciter disrumpitur, & per vomitum ac secessum expurgatur, *D. II. A. X. obs.* 71. *pag.* 128. *seq.*

Abdominis abſceſſus internus in virgine vetula, poſt mortem repertus, conſtans ex ſacco craſſo, totam fere abdominis cauitatem replente, peritonaeo annexo, materia ſubnigra viſcidaque repleto, et per medium peculiari membrana diuiſo, cuius fundum complures alii, diuerſae magnitudinis, abſceſſus occupabant. *D. II. A. VI. obſ.* 34. *pag.* 89. *ſeqq.*

— — — ſtupendae magnitudinis, peritonaeum occupans, ex lochiorum ſuppreſſione. *D. III. A. V. et VI. obſ.* 93. *pag.* 178. *ſeqq.*

— — *externus*, cum inſigni, ſupra ventriculum, tumore, in viro recidiuus, feliciter curatur. *D. I. A. II. obſ.* 82. *pag.* 157. *ſeq.*

— — — rarae magnitudinis, in dextro hypochondrio iuuenis, poſt diuturniores vomitiones, corroſiuo apertus, extractis materiae purulentae XLIV. menſuris, et membrana huic abſceſſui propria, ſanatur. *D. I. A. IV. et V. obſ.* 12. *pag.* 16. *ſeqq.*

— — — circa regionem lumbarem, in nephritico poſt lapſum ſubortus, per aperturam curatur. *D. III. A. IV. obſ.* 78. *p.* 171. *ſeqq.*

— — — cum aequali abdominis tumore duro, et dolore circa vmbilicum, in puella, febre continua miraque contabeſcentia laborante, poſt vmbilici, in centro, ſpontaneam rupturam, ſponte clauſus. *D. I. A. III. obſ.* 287. *pag.* 505. *ſeq.*

— — — in alia pro phthiſica et hydropica habita juxta vmbilicum apertus, licet praepoſtere clauſus, et recidiuus, feliciter curatur. *D. II. A. VIII. obſ.* 34. *p.* 95. *ſeqq.*

Abdo-

Abdominis abscessus externus in alia, ob ventris tumorem hydropica iudicata, apertione vmbilici prominentis sanatus. *D. III. A. IX. et X. obs.* 144. *pag.* 267. *seq.*

— — — infra hepar in viro, inter peritonaeum et musculum transuersum generatus nullo neque tumore, neque rubore apparente, incisione curatur. *D. I. A. I. obs.* 82. *p.* 198. *seq.*

— — — ex tumore supra vmbilicum, post abdominis allisionem ad ephippii mucronem orto, ruptus, relinquit fistulosum immedicabile vlcus. *D. III. A. I. App.* 127. *seq.*

— — — a tuberculo, sinistram abdominis partem, non procul ab vmbilico, occupante, cauterio apertus in fistulosum degenerat vlcus, sectione curatum. *D. III. A. II. obs.* 143. *pag.* 217. *seqq.*

— — — ex vteri haemorrhagia post abortum intempestive suppressa, per vmbilicum sponte raptum, magnam vim puris salutariter excernit. *D. III. A. I. obs.* 103. *pag.* 163. *seqq.*

— — — infra vmbilicum in puerpera, post partum difficilem, lochiorum iusto citius cessantem fluxum et alui segnitiem, mira totius abdominis duritie stipatus, ex quo rupto, alui prodibant feces, per vulneraria curatur. *Cent. I. obs.* 98. *pag.* 202. *seqq. Conf. D. III. A. V. & VI. obs.* 93. *pag.* 178. *seqq.*

— *externi* varii, alui fecibus et lumbricis exitum concedentes, restitutis aegris. *D. I. A. I. obs.* 145. *pag.* 321. *seq. App. pag.* 35. *A. III. obs.* 122. *pag.* 194. *D. II. A. I. obs.* 126. *pag.* 318. *seqq. A. III. obs.* 55. *pag.* 142. *seqq.* *A. IV.*

A. IV. obs. 112. *pag.* 219. *seq. A. VI. obs.* 191. *pag.* 381. *seq. D. III. A. II. obs.* 156. *pag.* 245. *seq. A. IV. obs.* 131. *pag.* 266. *seqq.*

Abdominis abscessus externus, non sanatis, aut pereuntibus aegris. *D. I. A. I. obs.* 146. *pag.* 322. *seq. A. III. obs.* 64. *pag.* 110. *obs.* 175. *pag.* 331. *A. VI. obs.* 144. *pag.* 205.

— — — in viro ruptus, praeter pus iuniorem eiiciens felem. *D. I. A. II. obs.* 103. *Sch. pag.* 177.

— — — in latere sinistro post colicam et intestinorum inflammationem, in vlcus callosum, alui excrementa reddens, terminatus. *D. II. A. IV. obs.* 75. *Sch. pag.* 160.

— — — infra vmbilicum, vermes teretes viuos eiiciens. In aperto post mortem cadauere, inuentus est membranosus canaliculus, ab intestini ilei tunica interna, vsque ad peritonaeum extensus. *Cent. I. obs.* 39. *pag.* 108. *seq.*

vid. LVMBRICVS.

— — — fistulosus circa hepatis regionem, excernit, intra nouem annos, calculos diuersae magnitudinis, coloris extrinsecus sub-punicei, intrinsecus lutei, instar rhabarbari, ab aegro saepius assumti, friabiles, pondere leues, et sexcentenarium numerum aequantes, integra valetudine. *D. I. A. I. obs.* 105. *pag.* 241. *seq.*

— — — in epigastrio dextro, calculos, per biennium, circiter bis centum, grandiores eiiciens, aegrota superstite & curata. *D. I. A. IV. et V. obs.* 189. *pag.* 243. *seq.*

— — — post icterum nigrum, in latere dextro, e re-

regione vmbilici, per tria foramina fistulosa, multos quotidie lapillos excernens. *D. II. A. V. obs.* 107. *pag.* 213. *seq.*

Abdominis abscessus externus sub hypochondrio dextro, penes vmbilicum, ruptus, proferens copiosos lapides auellanarum magnitudine, iisque similes, qui in fellis vesicula reperiuntur, vlcere feliciter clauso. Hos calculos inter abdominis musculos generatos putat auctor. *D. II. A. III. obs.* 16. *p.* 59. *seq.*

— — similis, eiiciens per interualla lapides citrinos, ex crustis, instar lapidum bezoardicorum, concretos. *D. II. A. I. obs.* 5. *pag.* 14.

— — vlcerosus in hypochondrio sinistro, calculum edens. *D. II. A. VI. obs.* 32. *pag.* 86.

— — calculum continens, qui volsellae ope extractus, externe vertebrae dorsi erat similis, interne vero spongiosus, pondere trium vnciarum. *D. II. A. III. obs.* 183. *pag.* 360.

— — relinquens duo circa vmbilicum foramina, ex quibus foetus in vtero mortui ossicula, post annum XIII. successiue, cibis simul incoctis effluentibus, prodierunt. Haec mulier, quae, relicta in vtero officulorum congerie, denuo bis concepit et peperit, hectica tandem defuncta, habuit duo notabilia foramina, vnum in vtero, alterum in intestino colo. *D. III. A. IV. obs.* 87. *pag.* 184 *seqq.*

— — in lumbis, globulum plumbeum protrudens. *Cent. IX. & X. App. obs.* 22. *pag.* 455.

vid. ABSCESSVS. FISTVLA. HYPOCHONDRIA. INGVINA. VMBILICVS.

Abdominis affectio scorbutico-hysterico-spasmodica, cum grauissimis animi deliquiis, in moniali curatur. *D. III. A. I. obs. 108. pag. 176. seqq.*

— *dolor* vlcerosus in ileo dextro, mulierem aluum deiicientem maxime infestans, sedatur, post excretionem per aluum, corporis membranosi, digiti maioris longitudinem et latitudinem adaequantis, ac intestinum coecum exacte referentis, exiguo cum cruore. *D. I. A. IV. et V. obs. 68. pag. 56. seq.*

— — per interualla mulierem sexagenariam, triginta annos, angens, viperaeque viuae, in ventre domicilium habenti, adscriptus, a calculo fellis vesiculam infarciente. *D. I. A. VI. & VII. obs. 220. pag. 322. seqq.*

vid. COLICA.

— *tumor* in infante vnius anni successiue increscens lethalis, a mesenterio, numeroso glandularum induratarum agmine referto. *D. II. A. X. obs. 50. pag. 96. seq.*

— — tactu manus durus et magnitudinem capitis infantilis adaequans, in foemina, a mesenterii in globum conuoluti tumore steatomatico, crassam seboque similem materiam continente. *D. II. A. II. obs. 159. pag. 367 seq.*

— — in alia a corpore glandiformi, aliquot viginti librarum pondere, e mesenterio originem ducente. *D. III. A. V. & VI. obs. 258. pag. 599.*

— — in virgine post casum ab alto, constans ex mola quadam pingui, ossi ileo connata et X. libras ponderante. *D. I. A. II. obs. 17. pag. 32. seq.*

Abdo-

Abdominis tumor in viro lactis esui nimium indulgente, cuius post mortem apertum abdomen, mirabilem continebat pinguedinis copiam. *D. I. A. IV. et V. obs.* 28. *pag.* 29. *seq.*

— — hydropico-tympanitico similis, in foemina, a nimia omentum et pylorum obsepiente pinguedine sebacea. *D. I. A. VI. obs.* 166. *pag.* 210. *seqq.*

— — grauiditatem mentiens, ab omento conglobato, XXVI. libras pendente, glandulisque referto, quae lac continebant amygdalinum, quo per annum aegrota singulis diebus vsa fuit. *D. II. A. VI. obs.* 28. *pag.* 68 *seq.*

— — — — a sacculo inter peritonaei duplicaturam, calculis arenulisque referto et lumbaribus musculis annexo. *D. II. A. IV. obs.* 128. *pag.* 252.

— — — — a mola et hydrope. *D. II. A. VII. obs.* 83. *pag.* 146. *seq.*

— — — — ab vtero cum toto abdomine scirrhoso et insolitae duritiei. *D. I. A. II. obs.* 60. *pag.* 118. *D. III. A. VII. et VIII. App. pag.* 69 *seq.*

— — — — fine foetus exclusione sponte detumescens. *D. I. A. I. obs.* I. *pag.* 11. *seqq. D. II. A. X. App. pag.* 45.

— — — — ex inordinato et parciori mensium fluxu. *Cent. IX. obs.* 100. *pag.* 217.

— — ante et post partum manens, sicque incertum grauiditatis signum. *D. II. A. VI. obs.* 219. *pag.* 454. *seq. conf. D. II. A. I. obs.* 183. *Sch. pag.* 427. *seqq.*

— — mox in mox decrescens, dubium, sed partu filioli verificatum, grauiditatis exhibet signum, *Cent. III. obs.* 74 *pag.* 165. *seq.*

Abdo-

Abdominis tumor in puella, lunae mutationes increfcendo et decrefcendo imitans. *D. II. A. VI. obf.* 168 *pag.* 340.

— -- feu inflatio, in hyfterica a conuulfione internorum eiusque curatio. *Cent. I. obf.* 92. *pag.* 179. *feq.*

— — monftrofae magnitudinis ab hydrope abdominis faccato. *D. I. A. IV. et V. obf.* 166. *pag.* 210. *feqq. D. II. A. I. obf.* 183. *pag.* 425. *feqq. D. II. A. VI. obf.* 34. *pag.* 89. *feqq. A. VII. obf.* 141. *pag.* 274. *feqq. A. VIII. obf.* 233. *pag.* 559. *feqq. A. X. obf.* 49. *pag.* 95. *feq.*

— — fimilis cum interueniente partu felici. *D. II. A. VIII. obf.* 23. *pag.* 70. *feqq.*

— — ex hydrope ouarii lethalis, cum anatome. *Cent. VII. obf.* 56. *pag.* 113. *feqq.*

— *tumores* tubarii lethales, fruftra ventris pertufione facta, annexis cadauerum fectionibus. *Cent. IX. obf.* 100. *pag.* 218. *feq. Conf. D. II. A. VIII. obf.* 233. *pag.* 559. *feqq.*

— *tumor* horrendae molis ab vtero fcirrhofo, XL. libras pendente. *D. I. A. I. obf.* 128. *pag.* 286. *feq. A. IX. et X. obf.* 126. *pag.* 301.

— — immenfus in virgine, a mole carnea LX. libras pendente, vtero adnata. *D. III. A. VII. et VIII. obf.* 190. *pag.* 167. *feq.*

— — fupra pubem in muliere dolorificus, et inftar viui cuiusdam infecti, vsque ad cardiam adfcendentis, fefe mouens. Secto cadauere inuentus eft tumor, capitis humani magnitudinem adaequans, fuper vteri fundum ligamento lato adnatus, et ex multis globis ac veficulis conftans

ſtans, ſaluo ipſo vtero. *D. II. A. VII. obſ.* 9. *pag.* 15. *ſeq.*

— — ſtupendus, poſt lochiorum ſuppreſſionem, abſceſſum in peritonaeo, pro cauſſa habens. *D. III. A. V. et VI. obſ.* 93. *pag.* 178. *ſeqq. Cent. I. obſ.* 98. *obſ.* 202. *ſeqq.*

— — et totius corporis intumeſcentia repentinam mortem, duobus ſubiectis foemininis inferens. *D. I. A. IV. & V. obſ.* 6. *pag.* 8. *ſeq.*

— — citaque mors in puella, ob ventriculum, ex cauſſa interna ruptum. *Cent. VII. obſ.* 43. *pag.* 62. *ſeqq.*

— — in viro ab inteſtinorum inflatione. *D. II. A. X. obſ.* 204. *pag.* 390. *ſeqq.*

Abdominis tumoris et borborygmorum cauſſa in inteſtinis. *D. II. A. VI. obſ.* 231. *Sch. pag.* 513. *ſeq.*

— ***tumor***, ſeu abdomen praetumidum vltraque genua propendens, in puerulo nondum trienni gibboſo, a tumore ſteatomatico. *D. II. A. VII. obſ.* 252. *pag.* 420. *ſeqq.*

— — infra vmbilicum apertus, calculos copioſe excernens. *Cent. IX. obſ.* 20. *pag.* 23. *ſeq.*

— — infanti circa vmbilicum connatus omphalocelen mentiens, accedente ſphacelo lethalis, ex prolapſo hepate, conformationis vitio. *D. I. A. II. obſ.* 88. *pag.* 162. *ſeq.*

— — in iuuene, rupto vmbilico, profuſisque ſeri menſuris XV. euaneſcens, ſed poſt duos menſes rediens lethalis. Cadauer ſectum, in peritonaeo monſtrauit plures tubulos lymphaticos, ceu nodulos glanduloſos, preſſi limpidam ſtillantes. *Cent. IX. obſ.* 100. *pag.* 217. *ſeq.*

Abdominis tumor, in puella, pro hydropica habita, post vmbilici aperturam purisque excretionem, euanescens. *D. III. A. IX. et X. obs.* 144. *p.* 267. *seq.*

— — in sexagenaria inueteratus, casu ex alto fortuito, per copiosum humoris e pudendis effluxum, curatur. *D. I. A. II. obs.* 134. *pag.* 215. *seqq.*

— — inprouise curatur in iuuencula, per lapsum, subsequente larga alui deiectione. *D. I. A. IX. et X. obs.* 17. *pag.* 54. *seqq.*

— — ex alliso in terram abdomine moxque enormi vrinae quantitate profusa curatur. *Cent. IX. obs.* 100. *pag.* 217.

— — seu inflatio, post reiectos per vomitum, arte prouocatum, cucumeres adhuc incoctos, ante tres anni quadrantes, superata febre, deuoratos, curatur. *D. III. A. II. obs.* 48. *pag.* 58.

— — rebellis in vidua curatur, vsu balsami Tolutani. *D. II. A. VII. obs.* 241. *pag.* 455.

— ***in cauo reperti*** flatus, ex apertura post mortem facta, erumpentes. *Cent. V. obs.* 43. *pag.* 64.

— — ***repertum*** corpus glandiforme. *D. III. A. V. et VI. obs.* 258. *pag.* 599.

— — ***reperta*** nimia pinguedo. *D. III. A. II. obs.* 26. *pag.* 35.

— — — mola pinguedinosa extra vterum. *D. I. A. II. obs.* 17. *p.* 32.

— ***compressio*** manu congrua facta, foetus exclusionem, in partu difficili, promouens. *Cent. X. App. pag.* 454. *seq. obs.* 21.

Abdo-

Abdominis arcta *constrictio* in grauida, foetus monstrosi caussa. D. II. A. II. obs. 102. pag. 254. seq.

— *illisus* grauidam in suffocationis abortusque metum praecipitans. D. II. A. I. obs. 105. pag. 252. seq

— — a ceruo inflictus lethalis, ob rupta intestina, colon et ileon, nullo laesionis vestigio externe apparente. D. I. A. I. obs. 21 pag. 82. seqq. conf. D. II. A. X obs. 172. pag. 331. seq.

— *percussio* mortem subitaneam puero inferens, in cuius cadauere, nullum plane laesionis signum apparuit. Cent. X obs. 20. pag. 278. seq.
vid. CONTUSIO.

— mira *retractio*, a caussa interna, in viro et puella. D. I. A. III. pag. 594. Cent. II. obs. 198. pag. 432.

— *ruptura* in hydropica. D. II. A. X. obs. 122. pag. 230. seq.

— — a cerasis, una cum lapillis, in nimia quantitate deuoratis. D. III. A. IV. obs. 10. pag. 20.
vid. PARACENTESIS. RUPTURA.

— *sonitus* & motus, instar viperae, a flatibus stomachum et intestina replentibus, quae facta in cadauere pressione, sonitum, vt in viuo edebant corpore. D. II. A. VII. obs. 13. pag. 23.

— ingens *sonitus* lochiorum suppressorum reserationem praecedens in puerpera. D. III. A. II. obs. 56. pag. 66.
vid. FLATVS.

— *vulnus lethale* ex inordinata sanguinis suppressione. D. II. A. IV. obs. 11 pag. 35.

Abdominis vulnus lethale penetrans, ob hepatis laesionem, *D. II. A. X. obs.* 173. *pag.* 334. *seq.*

— — per medium, illaesis intestinis, in arteriam aortam penetrans. *D. III. A. VII. & VIII. obs.* 166. *pag.* 282.

— — ob discissos arteriae coeliacae, ramum splenicum, nec non ramos quosdam mesentericos. *D. III. A. IX. & X. obs.* 120. *pag.* 224.

— graue feliciter curatum. *D. III. A. I. obs.* 85. *pag.* 132. *seqq. A. II. obs.* 154. *pag.* 244.

— vtrinque penetrans curatum. *Cent. IX. obs.* 70. *pag.* 160.

— horrendum & hactenus inauditum, in muliere grauida curatum. *D. III. A. IX & X. obs.* 44. *pag.* 62. *seqq.*

— seu traiectio per sclopetum minus cum globulo, periculosissimis stipata symptomatibus curatur. *D. III. A. III. obs.* 95. *pag.* 182. *seqq.*

— bombarda minori inflictum, globulo iuxta vmbilicum abdomen penetrante, postque aliquot dies, unacum alui excrementis per secessum eiecto, curatum. *D. III. A. IV. obs.* 10. *pag.* 20.

vid. VISCERA ABDOMINIS.

— *vulnera* varia periculosa, cum hepatis laesione in vno subiecto curata. *Cent. X. obs.* 49. *pag.* 339. *seqq.*

ABIES.

Abietis piceae pinique ſyluestris anatome D. Salom. Reiselii. *D. III. A. VII. & VIII. App. pag.* 3. *ſeqq.*

— e turionibus, in aqua ſimplici coctis, cum ſpiritu cochleariae, eſſentia viſceralis praeparatur, ad ſanguinem purificandum, et in phthiſi admodum vtilis. *D. II. A. IX. obſ.* 215. *pag.* 391.

— coni, quantum ſpiritus, ſeu olei, a vulgaris terebinthinae ſpiritu nil differentis, fundant. *D. I. A. IV. & V. obſ.* 200. *pag.* 272.

— conorum nuclei, faginorum more, debiliores inebriant. *ibid.*

— conorum ſuffitus praeſentiſſimum eſt in teneſmo remedium. *D. I. A. IV. & V. App. pag.* 24. *num.* 93.

Abietum ſeu pinorum florentium antherae, ſiue crocus deciduus, pluuiam ſulphuream cauſantes. *D. II. A. VII. obſ.* 194. *pag.* 367. *ſeqq.*

vid. PINUS.

ABLACTATIO.

Ablactatio cephalalgiam, lactationis tempore admodum moleſtam, auffert. *Cent. I. obſ.* 46. *pag.* 117. *ſeq.*

Ablactationis feſtum Hebraeis aeque ac Gentilibus in vſu fuiſſe, ex ſcriptura ſacra, et antiquitate probatur. *Cent. V. et VI. App. pag.* 213. *ſeqq.*

vid. LACTATIO.

ABORTVS.

Abortus monstrosus sine cerebro et spinali medulla, capite humeris incumbente. *D. I. A. III. obs.* 129. *pag.* 219. *seq.*
— — anatomice descriptus. *D. II. A. II. obs.* 143. *pag.* 311. *seqq.*
vid. MONSTRA.
— — caput aquilinum habens. *D. II. A. VIII. obs.* 132. *pag.* 291.
— ouiformis, seu vesicularis. *D. I. A. III. obs.* 68. *pag.* 115. *seq. D. II. A. X. obs.* 157. *pag.* 246 *seqq. D. III. A. IX. & X. obs.* 191. *pag.* 350. *seqq.*
— trium mensium nucis iuglandis magnitudine, ouum repraesentans, artubus iam conspicuis. *D. II. A. I. obs.* 119. *pag.* 305.
— bulliformis, ad spermatis ranarum analogiam proxime accedens. *D. II. A. IV. obs.* 114. *pag.* 221. *seq. A. VI. obs.* 163. *pag.* 327. *seq.*
— cum mola. *D. II. A. VI. obs.* 80. *pag.* 170. *seqq. A. VIII. obs.* 50. *pag.* 130. *seq. A. X. obs.* 157. *pag.* 246. *seqq. D. III. A. IV. obs.* 84. *pag.* 180. *seq. Cent. VII. obs.* 92. *pag.* 217. *seq.*
— dentatus sex mensium. *D. III. A. V. et VI. obs.* 268. *p.* 619.
— hydropicus, eiusque anatome. *D. II. A. I. I. obs.* 153 *pag.* 298. *seq.*
— in cuius placenta vterina inclusus erat embryo cum propria secundina, superfoetationis exemplum. *D. II. A. V. obs.* 233. *pag.* 457. *seq.*
— per vomitum reiectus. *D. I. A. I. obs.* 108. *pag.* 245. *seq.*

Abor-

Abortus incruentus, feu omni lochiorum fluxu deſtitutus, conticente omni morboſo inſultu. *D. II. A. IV. obſ.* 171. *pag.* 334. *ſeqq.*

— absque pariendi doloribus, cum retentione ſecundinarum. *D. II. A. I. obſ.* 100, *pag.* 230. *ſeqq. et obſ.* 116. *pag* 292. *ſeqq.*

— periodicus, certo tempore et ſeptimana, circa finem ſcilicet tertii menſis, octies intra ſex annos, mulieri bono corporis habitu praeditae, accidens, ex natiua vteri anguſtia, eiusque p. n. denſitate. *D. II. A. VII. obſ.* 184. *pag.* 348. *ſeq.*

— ſeu foetus immaturus, cum placenta, funiculo vmbilicali et manu dextra, ad vteri oſculum, compulſus, feliciter extractus. *D. II. A. V. obſ.* 34. *pag.* 61. *ſeq.*

— quare utplurimum vteri haemorrhagiam habeat comitem. *D. II. A. I. obſ.* 116. *Sch. pag.* 295.

— lochia ſuppreſſa abdominis abſceſſum producunt. *D. III. A. I obſ.* 103. *pag.* 163. *ſeqq.*

— quartanam ſoluit. *D. III. A. V. & VI. obſ.* 284. *pag.* 636.

— imminentis augurium ex pediculis caput occupantibus. *D. II. A. IX. obſ.* 88. *pag.* 151. *ſeq.*

— epidemici. *D. II. A. IV. obſ.* 114. *pag.* 421. *D. III. A. IV. App. pag.* 128. *ſeq.*

